



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

De Transfugio Cordis. Ad amicum amica expostulatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

At quæ dente putri saliens micat unda , colorem  
Fellis habet , potu & bilem succendit acerbo.

Proritatque animos , letumque in vulnere linquit.

Lyricum carmen.

Amphion fidibus mulcens delphina canoris  
Inde mari vehitur. Glomerant se vitrea circum  
Numina Tritones , pendentque canentis ab ore  
Attoniti. Patulis geminos de naribus efflat  
Interea piscis fontes , pulsatque vicissim  
Humentis citharam plectro. Bibit impigra vatun  
Gens latices , & fatidico se proluit haustu :  
Tum vero heroum superis exæquat honores,

DE

## TRANSFUGIO CORDIS.

*Ad amicum amica ex postulatio.*

**I**STA quidem vis est. Quid enim committere tantum

Imprudens in te potui , dilecte Menalca ,

Ut mihi cor furto vulsum radicibus imis

Surriperes ? hæc Musarum pro munere solvis ?

Debueram certe , si mens non læva fuisset ,

Præsentire dolos , & quæ me damna manebant :

Cum primùm vultusque nives , capitisque verendam

Canitiem , & signis qui plurimus extat in illis

Candorem perspexi animi , moresque serenos ,

Et come ingenium , & juvenilem penè senectam ,

Doctrinæque capax pectus , Phœboque sacratum

Et Musis , vegetamque effœto in corpore mentem.

Ex illo namque insidias & dulcia tendens

Vincula , coepisti cordis , blandissime , fluxam

Sollicitare fidem , nostroque avertere sensim



Obsequio , atque tuas me dissimulante vocare  
Sub leges mirâ illecebra ac dulcedine victum.

Ex illo tua perpetuo circumvolat ipsum  
Effigies : te nocte vigil , te luce renatâ  
Cogitat , in te uno cura inclinante moratur.  
Nec satis hoc illi est , ni tota à sede revulsum  
Ad te exire sui pennâ festinet amoris.

Exeat , inque sinu , quam non reperire priori  
Sub domino potuit , capiat felice quietem.

Sed ne te lateat natura , novique clientis  
Conditio ac mores ; paucis adverte , docebo.  
Vividus est olli flammæ vigor , ignea virtus ,  
Formaque nativo referens in acumine flammam :  
Irrequies motus , tremuloque simillimus igni :  
Ore vomit flammam , sunt huic quoque pabula flammæ :  
Infantes flammæ , quas non Venus improba telis  
Succendit , fallaxve auri nitor , aut mala vulgi  
Gloria ; sed sincerus amor , generosaque honesti  
Ambitio , & gaudens luxum nescire voluptas.  
Illos causa eadem nutrit , quæ suscitât ignes.  
Atque ubi materiam castis ardoribus aptam  
Invenere , huic æternis amplexibus hærent ,  
Constantique fide ; quam nec longæva vetustas ,  
Annorumque vices , nec toto dislita mundo  
Corpora dissolvant , nec iniquæ injuria sortis ,  
Aut gelidæ noctis frigus , cineresque sepulcri ,  
Feralesque umbræ , tristisque oblivia Lethes.  
His tibi cor nexum illecebris , dilecte Menalca ,  
Nulla sui sentire potest dispendia amoris :  
Æternæ existent æterno ex fomite flammæ.

Nec tamen una meum commendat gloria pectus ,  
Quod sit ab alterius castis penetrabile telis :

Q ij



Urit amore sui multos quoque, nec genus illos  
 Indecores, quos hîc longus meminisse viritim  
 Sit labor. Ex uno reliquos, tantum instar in uno est,  
 Conjicias. Deus, ipse Deus, cui flore micantes  
 Terra sinus pingit nequicquam, optatque videri  
 Luminibus formosa suis; cui sidera crines  
 Auratis comunt radiis; quem Luna fatetur  
 Curarum auctorem grato pallore suarum;  
 Cujus ab igne calet Phœbus; quem cœrula Tethis  
 Ardet habere procum, & votis certantibus ambit  
 Incassum: nostri jampridem flagrat amore  
 Pectoris. Huic & delicias, & gaudia cœli,  
 Gaudia mortales longe exuperantia sensus,  
 Interdum partitur, & ubere proluit haustu,  
 Alliciens, hacque invitans dulcedine tardum.  
 Sæpe etiam subiit ingens penetralibus hospes,  
 Accubuitque sinu parvo, visusque quietem  
 Hujus in amplexu & felices quærere somnos:  
 Aut sacra ipse suos expressit cuspide vultus,  
 Infertumque notis nomen pretiosus amator  
 Exsculpsit, tacitisque loquentia signa figuris.  
 Nec mora nec modus est: donec cor denique victum  
 Exaquet curas, casto & respondeat igni.

Gloria, crede mihi, magna est, dilecte Menalca,  
 Rivalem meruisse Deum; quodque omnibus ipse  
 Ambiat officiis, ultro te tollere munus.

At quoniam ut soles geminos, sic bina recusat  
 Corda pati natura; tuum donare vicissim  
 Te decet. Unus enim merces æqualis amori  
 Est amor, & solo constat bene pectore pectus.

Quam gratum mihi pignus erit! quæ cura tuendi  
 Tantum depositum non sollicitabit amantem?



Quos illi cultus & religionis honores  
 Non referam, gratus Musis Phoëboque sacerdos;  
 Victima erunt lacrymæ, & dulci suspiria questu  
 In numerum sociata, & gaudia mista dolori.  
 Ipse comam lauri redimitus fronde nitentem,  
 Concipiamque preces & non improspira vota:  
 Quæ, si nec surdum est, nec duro durius ære,  
 Audiet, æque sinu nolet discedere nostro.

IN NATALEM S. JOANNIS BAPTISTÆ,

## ELIAS FATIDICUS.

AD ILL. V.

PETRUM DANIELEM HUETIUM.

**V**OS mihi nunc sacrum natalem, ortusque beatos  
 Zacharidæ pueri, quo tota exultat Idume,  
 Cui Libani & celsæ salierunt Thaboris arces,  
 In numerumque suas Jordanes impulit undas;  
 Dicite coelicolæ. Nam primi nomen, & ingens  
 Præcistis longe decus; ignaroque parenti  
 Promissæ fato prolis monstrastis honorem.  
 Tuque adeo Isacidum jam felicissima matrum  
 E latebris erumpe tuis. Tibi dedecus alvi  
 Ista dies, sterilisque senectæ opprobria demit:  
 Atque moræ tanto pensat fastidia partu.  
 Nec vero tibi consuetos Lucina dolores  
 Attulit enixu in primo: nec dulce parentis  
 Quæsitum multo tribuit discrimine nomen.  
 Sed facili castus solvit se pondere venter  
 Sponte sua. Qualis maturus ab arbore foetus

Qij